

SUPPLEMENTUM  
EDITIONIS  
**B A S I L I C O R U M**  
**HEIMBACHIANAE**

LIB. XV—XVIII BASILICORUM CUM SCHOLIIS ANTIQUIS INTEGROS

N E C N O N

**L I B . X I X B A S I L I C O R U M**

NOVIS AUXILIIS RESTITUTUM

C O N T I N E N S.

E D I D I T

PROLEGOMENIS VERSIONE LATINA ET ADNOTATIONIBUS

I L L U S T R A V I T

**C A R O L U S E D U A R D U S Z A C H A R I A E A L I N G E N T H A L**

IURIS UTRIUSQUE DOCTOR, INSTITUTI ARCHAEOLOGICI ROMANI SOCIUS, EXPROFESSOR  
HEIDELBERGENSIS, DOMINUS IN GROSSKMEHLEN.

---

LIPSIAE 1846.

S U M T I B U S J O H . A M B R O S I I B A R T H .



## PROLEGOMENA.

---

### §. 1.

Basilicorum libros XV — XVIII usque ad titulum II cap. 16 FABROTUS edidit ex Codice regio graeco Parisiensi 1352, qui libros I — XVIII tit. 2 cap. 16 complectitur. Is Codex textum fere integrum praestat: nonnulla tantum a librario interpolata sunt, alia ob defectum foliorum desunt, veluti lib. XVI tit. 1 cap. 36 them. 3 usque ad cap. 62 them. 2, et tit. 9 cap. 9 them. 5 usque ad finem tituli, et initium lib. XVII tit. 1 usque ad cap. 6 them. 11 eius tituli, quae FABROTUS ex Synopsi aliisque fontibus pro parte restituere studuit. Scholia Codex Parisiensis fere nulla habet aut certe interpolata.

Reliquam partem libri XVIII nec non lib. XIX FABROTUS ex Synopsi Basilicorum, Harmenopulo aliisque subsidiis restituere conatus est.

HEIMBACHIUS in libris XV — XVIII, 2, 16 edendis FABROTUM sequutus est, nisi quod textum variis subsidiis puriorem constituit et versionem latinam denuo recognovit; lacunas libri XVI et XVII in Codice Parisiensi relictas, et lib. XVIII tit. 2 cap. 17 usque ad finem nec non lib. XIX ex fontibus editis atque ineditis, maxime e Tipucito, longe pleniores, quam FABROTUS, restituit.

Supplementum vero editionis Heimbachiana, quod ob oculos habes, benevole lector, praestabit tibi libros Basilicorum XV — XVIII cum scholiis ex Codice palimpsesto Constantinopolitano, et novam restitutionem libri XIX. Dicam igitur in prolegomenis

1. *de Codice palimpsesto Constantinopolitano;*
2. *de editione librorum XV — XVIII ad hunc Codicem expressa;*
3. *de libri XIX restitutione a me tentata.*

### I. *De Codice palimpsesto Constantinopolitano.*

### §. 2.

Anno MDCCCXXXVIII, quum per Orientem iter facerem, Constantinopoli in aedibus Patriarchae Hierosolymitani bibliothecam τοῦ ἀγίου τάφου, quam Graeci vocant, perlustrare et examinare mihi contigit. Ibi inter alios libros manu exaratos varii argumenti hunc, de quo hoc loco sermo est, Codicem inveni venerandam antiquitatis speciem prae se ferentem. Quem quum Constantinopoli propter temporis augustias integrum excutere non possem, amicorum opera commisi, ut annuente Viro Sanctissimo DEMETRIO, Patriarcha Hierosolymitano, Codex ad me mitteretur. Ita tandem anno MDCCCXXXIX hocce ξεμήλιον ad me transmissum est.

Mentionem eius obiter feci in *Delineatione historiae iuris Graeco-Romani* §. 30 (1, a, ε) et §. 49 (2), nec non in libro: *Reise in den Orient in den Jahren 1837 und 1838* p. 293 sq. Accuratus autem indolem eius et contenta descripsi in libello, cui titulus est:

*Ἀρέστον.* Lib. XVIII tit. 1 Basilicorum cum scholiis antiquis. Specimen Codicis palimpsesti Constantinopolitani bibliothecae S. Sepulcri, qui solus libb. XV — XVIII Basilicorum integros cum scholiis continet. Heidelbergae 1842. (Lipsiae apud I. A. Barth.)  
ex quo hoc loco pleraque repetere visum est.

## §. 3.

Codex S. Sepulcri, de quo diximus, membranaceus est, in forma quarta, quam vocant, exaratus. Constat hodie foliis 222; initio autem mutilus est, atque etiam in medio Codice quaedam passim folia exciderunt. Continet:

I. Fol. 1—210 Constantini Harmenopuli Hexabiblum. (Cf. *Delineatio* §. 49.) Fol. 1 incipit in fine μελέτης, quae sub titulo: Κριτῶν προκατάστασις Hexabiblio praeposita est. Post eam est: Κατάκρισις ἐκτεθεῖσα τῆς τοῦς κριτᾶς παρὰ λόγοτος καὶ ἀλέξανδρον a LEUNCLAVIO edita. Sequitur titulus et protheoria et index operis, et sic demum fol. 6 incipit Hexabiblio lib. I tit. 1. In fine libri VI (fol. 202. b. sqq.) adduntur: "Ἐτεροι τίτλοι διάφοροι, (nimis nū περὶ ἀξιωμάτων τί. α', περὶ κανόνων διαιρόσων τί. β', περὶ σημασίας διομάτων τί. γ', περὶ χειροτονίας ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων τί. δ'), in quorum fine fol. 210. b haec nota legitur: Τέλος οὐν θεῷ πάσης τῆς ἔξαβιβλου. ἐπελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον μηνὶ δεκαεπτῷ ἵνδ. ζ ἔτους σωζόμενον: — οἱ ἀναγνώσκοντες εὐχεοθαι (I. εὐχεοθε) διὰ τὸν κύριον. — i. e. *Finis cum Deo totius Hexabibli. Finitus est praesens liber mense Decembri Ind. VII anno VIMDCCCLXII* (p. Chr. n. 1354). Qui legitis, orate per dominum.

II. Folia 211 sqq. alia recentiori manu exarata sunt. Continentur iis: Donatio a Constantino M. in Sylvestrum pontificem collata, tres tomī synodici, leges rusticae, corollaria quaedam ad Hexabiblum, Harmenopuli de orthodoxa fide et de sectis libellus, officia palatii, dispositio thronorum, quae etiam in aliis Hexabibli Codicibus appendicis loco adscripta reperiuntur\*).

## §. 4.

Folia illa 222, quibus Codex S. Sepulcri constat, ex aliis antiquioribus Codicibus sumta et, veteri scriptura abluendo deleta, rescripta sunt. Et quidem

1. folia 217—222 avulsa sunt ex Codice antiquissimo uncialibus literis in forma quarta maiori exarato, quem saeculo VII vel VIII tribuendum esse crediderim. Is Codex atramento scriptus erat, quod remediis reagentibus frustra revocare studui. Pauca tantum verba legi potuerunt, quae librum ecclesiasticum, puta δημιουρα complexum, indicarent.

2. Reliqua folia (praeter fol. 22 et 29) olim pertinebant ad τεῦχος τῶν βασιλικῶν. Is Codex in folio exaratus fuit, ita ut ex singulis eius foliis, dum rescriberentur, bina folia effecta sint, in quibus lineae scripturae antiquioris a lineis scripturae recentioris secantur. Ita hodie folia primitivi Codicis nonnisi centum et duo integra\*\*) et folia decem dimidiata supersunt.

3. Denique folium 22, et folium 29 cum illo cohaerens, quod fortasse olim Codici Basilicorum modo laudato tegumenti loco adglutinatum fuit, in parte interiori instrumentum continet anno 1217 exaratum, a tergo autem vestigia scripturae palimpsestae nulla habet.

## §. 5.

Instrumentum, quod in foliis 22. a et 29. b extare diximus, ita, quemadmodum nobis lectum fuit, edamus. Pauca hic illic supplevimus, quae legi non poterant: eaque, quo melius a reliquis distinguerentur, uncinis inclusimus: alia per parenthesin emendavimus. Igitur instrumentum illud, cuius inscriptio ab initio mutila est, sic audit:

| . . . . ἀρχῆς τοῦ σεπτεμβρίου μηνὸς τῆς μελλούσης ἔκτης ἵνδ. τοῦ σψκεσ' ἔτους καὶ παρέχεται ἔτοιστας (I. ἑτηστας) ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ τοτέον χρόνου | τὸ ἀναλογοῦν πρὸς δώδεκα μοδῶν τὸ ὑπέρ[πνυρον].

Ἴγραφη ταῦτα διὰ χειρὸς [ξρμογένεν] | ἵνδ. ε' ἔτους σψ[κε] | μηνὶ ἵντην ἵνδ. ε'. |

 σὲ νικολάου τοῦ γαμ-  'Εν ὄνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ νιοῦ καὶ τοῦ ὄγλου ἡπνεύματος νικόλαος βροῦ τοῦ τζυκαλᾶ.  ὁ γαμβρὸς τοῦ ζυκαλᾶ, ὁ τὸν τίμιον καὶ ζωοποιὸν | σταυρὸν ἰδιοχείρως ἔνταῦθα ποιήσας, ἔξελαβόμενη κατὰ πρώτην ἔκδοσιν ἀνακαμπτικῷ τρόπῳ ἀπὸ σοῦ | τοῦ παντεβάστον

\*) Videatur REITZII adnotatio in calce Harmenopuli ab ipso editi (MEERMAN Thesaur. to. VIII) et BIENER de collectionibus canonum p. 78. *Delineatio* §. 49.

\*\*) Ex his unum folium iam olim erat rescriptum, quo factum est, ut in eo nunc triplex scriptura, altera alteri superindita, appareat. Antiquissima scriptura in „Querfolio“, quod dicimus, per tres columnas procedebat, ita ut in hoc folio lineae bis invicem intersectae sint. Denique haec antiquissima scriptura, quantum colligi potuit, Slavica fuisse videtur.

σεβαστοῦ καὶ δούλου τοῦ κραταιοῦ καὶ ἀγίου ἡμῶν ἀνθέντον καὶ βασιλέως κυροῦ Ἰσαακίου τοῦ κοκκαλᾶ ἐκ τῶν ἐν τῇ περιοχῇ | τοῦ κούνιακος ἐξ ἀγορασίας περιελθόντων σοι δσων καὶ οἴων τοπίων ἀπὸ διαφόρων προσώπων τμῆμα μοδίων βασιλικῶν τριῶν, πλησίον κείμενον | τῶν ἐκεῖσε νῦν δμοίως ἐκδοθέντων παρὰ σοῦ δμοδούλων δικαίων πρὸς τὸν δραγίνων Θεόδωρον, ἐπὶ τῷ δι’ οἰκείων ἔξοδων μον κατακυλίσαι | τὸ αὐτὸ τμῆμα καὶ οἰνόφυτα καταφυτεῖσαι καὶ εἰς ἀμπελῶνα μεταμεῖψαι, καὶ κατέχειν αὐτὸν σὺν τῷ μέρει μον πρὸς τὸ καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ πᾶσαν πρόσοδον | μονομεφῶς ἀποφέρεσθαι ἐπὶ χρόνοις εἴκοσι καὶ πέντε, ψηφιζομένοις ἀπ’ ἀρχῆς τοῦ σεπτεμβρίου μηνὸς τῆς μελλούσης ἑκτῆς ἵδ. τοῦ *Ιψικεῖτον*, καὶ παρέχειν ἑτησίως χάριν | τοῦ γενησομένου ἀμπελῶνος πρὸς σὲ καὶ τὸ μέρος σοῦ, οὐκ ἀπεντεῦθεν ἀλλὰ μετὰ πυραδομὴν χρόνων δύο ἥτοι ἐκ τῆς ἀρχῆς τοῦ τρίτου, τὸ ἀναλογοῦν πρὸς δώδεκα | βασιλικὸν μοδίων τῷ ἐνὶ ὑπερπύρῳ π...τ. ἥττοι κοκκία ὑπερφυρικὰ ἐξ εὐγνωμούσις ἢ ἀποθελῶς, καὶ λαμβάνειν ἀπόδειξιν [ἐπὶ τῇ τοῦ] τέλους κατα[βολῆ] | προβάνειν ὀφείλοντα· καὶ μετὰ τὴν ἐκμέτρησιν τῶν τῆς παρούσης ἐκδόσεως εἴκοσι καὶ πέντε χρόνων τῆς βελτιώσεως αὐτῶν τῆς περισωζομένης πάλιν | ἐπανακάμπτειν ἡμᾶς ..... καὶ τὸ μέρος μον εἰς ἑτέρους ἴσαριθμονς χρόνους, καὶ διδόναι τότε διπλοῦν τὸ εἰρημένον τέλος καθάπαξ, | ἕκτοτε δὲ εἰς τὸ ἀπλοῦν αὐτὸ παρέχειν κατὰ τὸ σύνηθες, καὶ καθεξῆς δμοίως ποιεῖν μέχρις ἂν ὁ παρὼν διαρκοὶ αἰών, ἐκπληροῦν | καὶ πάντις ὅσπερ ἐν τοῖς ἐκληπτορικοῖς ἐγγράφοις ἀνέκαθεν καὶ κατὰ νομικὴν παρατήρησιν ὅγτα ἐπεκράτησαν, καν καὶ ἐνταῦθα κατὰ ὅ[μια] | οὐκ ἐνεργάφησαν. εἰ δὲ κάκεννα πάντα οὐ φιλάττετε (I. φιλάττεται) ἀναλλοιώτα καὶ ἀπαράθρανστα, ἵνα καὶ ἡ παροῦσα ἐκδοσὶς τὸ ἄκυρον ἔξει καὶ τῆς βελτιώσεως | ἐκπίπτῃ[ν] κατὰ θείου νόμου διαταγὴν, ἐπανερχομένης ταύτης εὐθὺς πρὸς σὲ καὶ τὸ μέρος σοῦ προφάσεως τινὸς ἀνεν. τούτων δὲ οὖ[τοις] | παρ’ ἡμῶν ... εξ... καὶ ἀπαράθρανστας συντηρουμένων, οὐδὲ σὺ ἢ τὸ μέρος σοῦ πειραθῆτε ποτε τῶν καρῶν ἔσθωσι ἡμᾶς τῆς νομῆς καὶ κατ[οχῆς] | τοῦ γενομένου ἀμπ[ελῶνος] ἢ πλέον τὶ τοῦ ἀναγεγραμμένου τέλους ἐπιθεῖναι ἡμῖν ἢ καὶ ἄλλως πᾶς εἰς ἀνατροπὴν τοῦ παρόντος ἐγγράφου γράμματος] | καὶ τὸν ..... . . . . . βουλήσεως ὑπόνοιαν πρ...μας πρόστιμον ὑπέροντα εἴκοσι καὶ πρὸς τὸν ..... | περιουσίαν ἡμῶν πρὸς ὃ καὶ οὐτῶς ἐργάσθαι τὸ παρὸν τῆς ἐκλήψεως ἐγγράφον σὺν τῷ τῆς ἐκδόσεως ἰσοτύπῳ αὐτῆς. ἐγγράφη ταῦτα διὰ χειρὸς | κληρικοῦ τοῦ ἔρμογένοντος ἐκ προτροπῆς τοῦ Θεοτάτου σακελλαρίου καὶ ταβον-λαρίου κυροῦ ἱερεμίου τοῦ κειμαδὸν μηνὶ Ιοννίῳ ἐπινεμήσεως ἐτονεψ[κεί] | ἐνώπιον τῶν ὑπογεγραμμένων. |

† *Μαρονήλη* ἑρεὺς καὶ κληρικὸς ἀβαράγων τῶν ἐκληπτορικῶν ἐγγράφων παρὼν καὶ μαρτυρῶν ὑπέγραψα. |  
† ‘Ο ἀγιος σοφάτατος πρωτοκανονάρχος δημήτριος ὁ δελφινᾶς τῶν ἐκληπτορικῶν ἐγγράφων παρὼν καὶ μαρτυρῶν ὑπέγραψα. |

† ‘Ο γραφίδες δημήτριος συμμαρτυρῶν ὑπέγραψα. |

† ‘Ο σακελλάριος τῆς ἀγιωτάτης μητροπόλεως Θεσσαλονίκης καὶ ταβονλλάριος ἱερεμίας διάκονος ὁ χειμαδᾶς βεβιαῖν ὑπέγραψα. |

Hoc documentum historiae Codicis nostri enucleandae insigniter, nisi fallor, inservit. Primum enim ex eo probabiliter colligitur, Basilicorum Codicem Thessalonicae exaratum eundemque ibidem rescriptum esse: nam certe documentum illud Thessalonicae scriptum et asservatum fuisse videtur, quem iussu Sacellarii metropoleos Thessalonicensis confectum esse dicatur. Deinde ex eodem instrumento, quod anno p. Chr. n. 1217 scriptum est, fortasse aetas Codicis Basilicorum rescripti certius definiri potest. Scriptura enim eius instrumenti similis est scripturæ minutæ, qua scholia ad textum Basilicorum in eo Codice plerumque exarata sunt: ut proinde non sit a vero dissimile, eundem clericum Hermogenem, qui illud conscripsit, circa idem tempus etiam Basilicorum Codicem manu sua exarasse.

### §. 6.

Scripturam filiorum 1 — 216 παλίμψητον variis remedīs, veluti gallae infuso, quod GÖSCHENIO et BEKKERO in Codice Veronensi Gaii unice se probaverat, aliquamdiu frustra tentavi. Postea virum celeberrimum atque experientissimum, LEOPOLDUM GMELIN, professorem chimicas Heidelbergensem, adii, ut pro ea, qua erga me est, benevolentia remedia Codici legendo aptiora anquireret et circumspiceret. Eius tandem opera atque industria remedia mibi suppeditavit, quibus scriptura antiqua, sicuti vel levissima eius vestigia superessent, facile legi posset. Remedia haec erant:

1. Kali ferro-borussicum, quo folia Codicis prius inducenda erant, ne atramentum recentioris scripturæ dissolyeretur.

2. **Kalium sulfocyanatum in acido hydrochlorico diluto solutum, quo indito, postquam folia kali ferro-borussico inducta desiccata erant, scriptura antiqua illico vividis coloribus apparebat.**

His igitur remediis adhibitis pleraque expedire contigit, quamquam subinde aut literae singulares aut integra verba adeo lineae in lucem protrahi non potuerunt.

### §. 7.

Scriptura Codicis nostri, id quod supra observavimus, saec. XII exeundi vel XIII ineunti debetur. Simillima est scripturae Codicum MSS. graecorum Parisiensium Coislin. 152 et Reg. 1350, quorum ille lib. XI — XIV, hic lib. LX Basilicorum cum scholis continet. Imo hi tres Codices olim integri Basilicorum operis, ab iisdem librariis descripti et in plura volumina divisi, partem effecisse videntur. Neque enim obstare crediderim, quod scholia eorum Codicum variae indolis sunt; ut apud nostros olim quinque volumina, quae Corpus Iuris efficent, ex variis editionibus colliebantur, ita etiam apud Graecos fieri potuit, ut singula integri Basilicorum operis τεύχη ex variis recensionibus describerentur.

Oeconomia scripturae eadem paene est, quam praestant Codices Digestorum, Codicis et Institutionum cum apparatu. Textus in media pagina introrsum maioribus literis exaratus est: scholia minoribus literis scripta supra, infra et a latere in margine habentur. Passim inter lineas glossae sunt: nonnunquam in extremo margine recentiorum adnotationes. Quae si accuratius cognoscere vis, adi *Ἀρέσδοτον* meum §. 2 laudatum, in quo quasi effigiem foliorum quinque Codicis nostri edidi.

Scriptura scholiorum abbreviationibus abundat et lectu longe difficilior fuit, quam textus: maxime quum una eademque abbreviatio aliquando varias voces significet: sic  $\pi$  modo πάλιν, modo παλαιός, modo παρών legendum erat.

Quatuor ultima folia nostri Codicis alia manu exarata sunt, quam reliqua omnia. Nempe posteriori tempore suppleta sunt, quum iniuria temporum ex Codice primitivo excidissent. In iis hoc observatu dignum erat, quod singulis scholiis signum aliquod praepositum erat, cui in textu idem signum inter lineas repetitum respondebat. Librarius scilicet, scholia ad ipsum textum pertinere ratus, verba locosve in textu notare voluerat, ad quos scholia referenda essent.

### §. 8.

Codex S. Sepulcri Basilicorum, dum integer erat, libros XV — XVIII cum scholiis complectebatur: hodie tamen folia circiter quadraginta desunt. Igitur plus habet, quam Codices MSS., qui hactenus innotuerunt, vel editiones hactenus vulgatae.

Quod enim ad *textum* Basilicorum attinet, lacunas in libris XVI et XVII adhuc relictas paene totas explet. (Cf. editionis nostrae p. 83 — 89, 129 — 135.) Liber autem XVIII in hoc demum Codice genuinus apparet, nisi quod sex aut septem folia ex Codice exciderant.

*Scholia* editiones ad libros XV — XVIII paucissima habent, eaque recentiora aut ex antiquioribus depravata. Noster demum Codex antiqua scholia genuina praestat, eoque maxime sit, ut editioni Heimbachiana insigne supplementum sit.

## II. *De editione librorum XV — XVIII Basilicorum e Codice Constantinopolitano.*

### §. 9.

Editionem librorum XV — XVIII Basilicorum ita paravi, ut Codicem Constantinopolitanum in universum fideliter exprimerem. Lacunas in eo relictas quantum fieri potuit ex editione Heimbachiana aliisve fontibus supplere studui. Ubi folia integra deessent, textum ex editione Heimbachiana purum putum repraesentavi. Si tantum legi non possent, quae Codex praestaret, supplementa partim ex Heimbachianis partim ex ingenio addidi eaque uncinis inclusi. Si supplementa deficerent, lacunas punctis vel lineolis indicavi: puncta singulas literas vel notas lectas non esse indicant: hae lineolae || literam longiorem scholiorum septuaginta circiter literarum: lineola —, literam breviores scholiorum vi-ginti quinque vel etiam triginta literarum expediri non potuisse significat.

Graecis addidi versionem latinam. In qua conficienda magis id egi, ut Graeca fideliter, quam at aurea latinitate redderem: versionem textus, quam HEIMBACHIUS post alios dederat, huic consilio accommodavi. In margine, exemplum FABROTI et HEIMBACI sequutus, locos textui convenientes ex Digestis, Codice ac Novellis excitavi. Infra accedunt notae, aliae ad textum aliae ad scholia, criticae potissimum indolis.

### §. 10.

Editionis meae ratio ab ea, quae FABROTI et HEIMBACHIO placuit, eo potissimum differt, quod scholia nova plane methodo adornavi et pertractavi. Qua de re hoc loco repetere nolo, quae fusius disputavi in annalibus RICHTERI et SCHNEIDERI (Jahrgang IV Heft VI S. 495 — 499).

Scholia Basilicis primitus addita, licet nonnunquam annotationes recentiores ad ipsa Basilica exhibeant, plerumque tamen excepta sunt ex commentariis antiquiorum ICTORUM, qui tribus et quod excurrit saeculis ante Basilicorum repugnationem vixerunt et ad Digesta, Codicem ac Novellas commentati sunt. Haec igitur scholia interpretationes fontium iuris Iustiniane, neque vero proprie Basilicorum continent, et ut recte intelligi possint, quaerendum est, a quonam auctore ad quosnam locos sive Digestorum sive Codicis sive Novellarum scripta sint. Iam vero, quum indagatio huius rei, si qua alia, ad officium editoris Basilicorum pertinere videretur, quo magis Basilica sua interpretibus iuris Romani commendaret, oeconomiam scholiorum, naturam indolemque commentariorum ex quibus desumpta sunt, dicendi disputandique genus cuique auctori proprium penitus exquirere studoi. Ita tandem effectum est, ut indolem uniuscuiusque scholii definire posse mihi visus sim, modo indicis haud ambiguus modo coniecturis tantum\*). Itaque in fronte latinae versionis cuiusque scholii et auctorem (Stephanum, Anonymum, Enantiophanem, Cyrillum, Cobidam, Thalelaeum, Theodorum,) indicavi et locum fontium iuris Iustiniane ad quem proprie pertineret. Qua in re probe sentio, quantam fidem a lectoribus mihi vindicem: rationes autem eur sic vel sic definiverim, adducere longum fuisse. Quae generaliter disputare possim de auctoribus antiquiorum scholiorum et de commentariis eorum ex quibus haec scholia ad Basilica transcripta sunt, haec omnia olim iam brevi tractatu composita publici iuris feci in annalibus RICHTERI et SCHNEIDERI (Jahrgang VIII Heft IX S. 794 — 828), eaque lectores rogo ut attente legant, quo magis scholia Basilicorum recte iudicent et ad interpretationem iuris Iustiniane adhibeant.

### §. 11.

#### III. *De libri XIX Basilicorum restitutione a me tentata.*

De restitutione libri XIX Basilicorum post FABROTUM et HEIMBACHIUM denuo a me tentata brevis sermo esto. HEIMBACHIUS meliora longe et pleniora dedit, quam FABROTUS. Sed fervore restituendi eo abreptus est, ut ex subsidiis fontibusve Basilica sua restituere voluerit, quae genuinum Basilicorum textum nequaquam repraesentant. Sic tit. 1 cap. 4. 5 (l. 4. 6. pr. D. XVIII, 1) restituit e Photii Nomocanone, et eiusdem loci alias versiones addit ex Collectione constitutionum ecclesiasticarum: quamquam Photius Basilicis non est usus, et ipse HEIMBACHIUS notare necesse habuit: „Uterque locus e Coll. const. eccl. desumptus textum quidem Basilicorum non continet: nec vero putavi eum omittendum, cum huic valde similis sit.“ Atqui hoc profecto non est restituere Basilica, sed potius versiones locorum iuris Iustiniane per fontes iuris Graeco-Romani dispersas ad ordinem Basilicorum in unum colligere! Praeterea HEIMBACHIUS ad restitutionem libri XIX Tipucito usus est. Is autem nonnisi indicationes argumenti sive summaria singulorum deinceps capitum et thematum cuiusvis tituli praestat, ut sane duce eo restitutio fieri debeat, ipse autem textus Basilicorum ex eo restitui nequeat. Igitur minus recte fecit HEIMBACHIUS, quod Tipuciti summaria textui restituto immiscuit, rectius facturus, si Tipucitum integrum separatim edidisset aut textui subiecisset.

\*) Illud unum mihi non contigit, ut quae ex Anonymi Digestis, quaeque ex eiusdem auctoris libro singulari περὶ ἐπαγγελμάτων desumpta essent, a se invicem recte distinguerem. Ita sit, ut quae Anonymo tribuerim, nonnunquam Enantiophani vindicanda sint. — Caeterum hac occasione data etiam id notare operae pretium est, παραγγελμάς Anonymi ad summam Digestorum ab ipso conscriptam ut plurimum non esse nisi epitomas indicum vel annotationum, quas Stephanus ad Digesta οὐ πλάτει conscripserat.

Denique HEIMBACHIO nonnulla auxilia restitutionis, veluti Epanagoge aucta et *Hēgōa* sive Doctrina ex actis Eustathii, ad manus non fuerunt, quae tamen *centum* circiter *et viginti* locos hactenus in-  
cognitos ex libro XIX Basilicorum suppeditant.

Itaque operaे pretium esse putavi, si repurgatis iis, quae HEIMBACHIUS a Basilicis aliena non  
iure immiscuerat, et adiectis, quae Epanagoge aucta et *Hēgōa* praestarent, novam restitutionem  
libri XIX adornarem. In quo id potissimum egi, ut regulas sequerer de restitutione Basilicorum in  
annalibus RICHTERI et SCHNEIDERI (Jahrgang VI Heft VI S. 501 — 508) a me propositas, atque eos  
tantum locos in restitutionem meam reciperem, quos *Βασιλικὸν* continere certissima indicia demon-  
strarent. Tipucitum autem libri XIX, quem primum integrum adiicere animus erat, nunc praetermis-  
sum quum HEIMBACHII iunioris schedae a fratre seniore eodemque editore Basilicorum liberalissime mecum  
communicatae integrum Tipuciti apographum non contineant, et lacunarum in iis relictarum ex ipso  
Codice Vaticano supplementa ab amicis, quibus hanc curam demandaveram, necdum ad me trans-  
missa sint.

Dabam in villa Grosskmehlen apud Ortrand.

Idibus Martii anni 1846.

**Zachariae a Lingenthal.**